

*Spiritus
duplices.*

bus in reliquas continenter influunt. De insito capite præcedente dictum est. Videntur tamen interdum autores, dum de calido innato loquuntur, non solum illum insitum spiritum, sed & influentem, seu utrumque conjunctum intelligere. Utroque enim anima ad actiones exercendas, tanquam proximo & præcipuo instrumento utitur, & uterque necessarius est, ut corpus sit aptum animæ domicilium.

*Spiritus
influen-
tes an
sint fa-
cultatum
vehicu-
lum.*

De influentibus verò, de quibus jam dicendum, hoc primò monendum, vulgatam quidem esse sententiam, sed parum verò consentaneam; spiritus influentes esse facultatum vehiculum, facultatesque & potentiam agendi partibus per spiritus hos advehi, & à partibus principibus in reliquas influere. Hinc non rarò à medicis controvertitur; An solum facultates è partibus principibus in reliquas influunt; an verò cum facultatibus etiam spiritus. Verum enim verò cum facultates animæ inseparabiles ejus proprietates sint, & ab animæ essentia, per emanationem simplicem, ut Philosophi loquuntur, fluant; recipiantur autem in animato corpore, ut subjecto; cuilibet hinc manifestum evadit, eum in corporis partibus omnibus, carne, ossibus, membranis & aliis tam insit anima, quam in corde, cerebro, epate; etiam ibi illam suis instructam es-

se facultatibus, neque illas aliunde mutuari. Hoc enim si quis indubium vocet; alterutrum concedat necesse est: vel animam in plerisque partibus adesse, neque tamen suis instructam esse potentiis, & facultatibus; vel illa membra anima destitui, atque inanimata esse, ac animam solum in membris illis principalibus hære, & proinde illa solum propriè animata esse: quod utrumque absurdum est.

Quamquam verò Galenus ab hac locutione non abstinuerit, tamen de ejus mente potius, quam verbis sumus solliciti. Dum enim scripsit; suscipere membra per nervos facultatem animalem, & suas etiam facultates per arterias & venas: id non ita accipiendum est, quasi ipsæ animæ potentia è partibus illis in reliquas influant: sed de proprio & principali organo, spiritu scilicet, cujus beneficio anima suas facultates exercere, & ad actum secundum accedere valet, intelligendum est.

Spiritus enim primum & præcipuum instrumentum est, quod in partibus principibus confectum per suos canales in membra influit, & cum partium singularum calido innato atque insito junctum facultates & conservat, & ut ad actum secundum accedere possint, efficit. Quo ubi partes destituuntur, vitæ ac sensu privantur, nec amplius animæ organa idonea sunt.

Rem

*Spiritus
um in-
fluentis
utilitatis.*